



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

185. An iuramentum de parendo, &c. præstandum sit semper in
absolutione excommunicationis maioris, & si omittatur, quando debet
præstari, an absolutio sit nulla? Ex p. 5. tr. 9. res. 68.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 16. d. ff. 14. n. 5.* sed medicantes, ut observat etiam ex Suarez Turrianus, habent privilegium absolvendi sine solennitatibus: unde si quis in absolutione excommunicati sine contemptu non exigeret juramentum, vel non recitaret aliquem Psalmum penitentialem, aut orationem Dominicam, &c. non peccaret, nisi tantum venialiter.

2. Sed hic obiter querendum est quo sensu intelligatur prædictum juramentum, quod exigitur ab excommunicato, ut supra retulimus. P. Suarez n. 10. dicit non inducere obligationem observandi omnia mandata Ecclesiae, quia esset novum onus imponere fidelibus, quo peccent malitia speciali contra Religionem juramenti, quoties aliquod Ecclesiae præceptum violarent. Addit intelligi de non violando legem ob cuius transgressionem imposita fuit excommunicatio; sed neque habetur usus receptum, & saltem ob ignorantiam excusantem homines à novo peccato. Ita Cajet. in *sum. verb. absolutio*, docet hoc juramentum non esse postulandum nisi in magnis criminibus, interdum verò juramentum solum de satisfactione exhibenda, & ita docet Turrianus ubi supra, quod est valde notandum.

Sup. hoc in
ref. seq. §. 1.
& in §. not.
præteritæ.

RESOL. CLXXXV.

An juramentum de parendo, &c. præstandum sit semper in absolutione excommunicationis majoris, & si omittatur, quando debet præstari, an absolutio sit nulla? Ex part. 5. tract. 9. Ref. 68.

Sup. hoc in
fin. præced.
Ref. Sed lege
eam per totam,
& pro
contento in
hac ref. sup.
in Ref. 181.
§. ult.

§. 1. CAsus sunt practicabiles, & ad primum respondent Sylvester & D. Anton. quos sequitur Cajetanus, solum esse exigendum in magnis criminibus, ut in hereticis, incendiariis, falsariis, Clericorum percussoribus, ac similibus. Pro contraria tamen sententia facit quod jus discrimen nullum ponat in criminibus, ut constat ex c. cum desideres, de sent. excomm. Dicit tamen potest servari posse, quod docent illi auctores citati, ea in absolutione, quæ datur in foro interiori; in foro autem exteriori standum esse consuetudini loci, si legitime præscripserit.

2. Ad secundum dubium an absolutio quando omittitur juramentum, sit utilis, seu valida? Respondet omissio juramento, cum à jure præscribitur, placuit quibusdam non valere absolutionem, ut refert gl. in d. c. cum desideres, de sent. excommunicat. verbo, nisi forma. & adscribitur Hostiensis. Nihilominus dicendum est valere absolutionem, ut docet glossa citata, Abb. ibid. probatur communis sententia ex cap. super eo, 2. de sententia excommunicationis, ubi absolutio data illi, qui jurare noluit, valida asseritur, nec ulla constitutio juris est, quæ ostendat juramentum esse de essentia absolutionis, aut ad ullam ejus causam intrinsecam spectare, & hæc omnia docet Gordonus tom. 2. lib. 7. q. 12. c. 9. §. 3. n. 75.

RESOL. CLXXXVI.

An excommunicatus, si non potest satisfacere, debeat saltem confessorio præstare cautionem iuratoriam? Et an ille processus satisfactionis, & cautionis pignoratitiae & iutoriae intelligendus sit pro foro penitentiali, deficiente possibilitate penitentis, propositum ejus firmiter tantum valeat? Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. Ref. 42. alias 44.

Sup. hoc
quavis ex
vi Cruciatæ
lege tamē in

§. 1. DOctores communiter affirmativam sententiam docent, sed cum viderem confessarios etiam communiter in praxi non observare, non pa-

rum laboravi, ut invenirem aliquos Doctores, pro tractanda eorum praxi, & pro contraria sententia. Ref. 41. manda, & tandem inveni Ioan. Valerum in differentiis utriusque fori, ver. absolutio, differ. 5. n. 3. & differ. 11. in fin. & Henriquez lib. 7. c. 13. n. 2. in glossa littera l. & c. 28. n. 3. in gloss. littera A. asserere, in foro conscientiae, satis esse propositum firmiter penitentis, quia requiritur tantum pro foro exteriori, in casibus expressis. Et ita etiam docet Navarrus c. 27. n. 278. sic limitans quod dicit in c. 16. n. 3.

2. Dicendum est igitur probabiliter, cum supra dictis Doctoribus, quod ille processus satisfactionis, & cautionis pignoratitiae, & iutoriae, videtur intelligendus pro foro exteriori, nam in foro penitentiali deficiente possibilitate penitentis, propositum ejus firmiter tantum valet, quantum datio pignorum, vel fidei iussorum, in foro judiciali. Ergo in foro conscientiae satis erit credere penitenti.

RESOL. CLXXXVII.

An excommunicatus, ut absolatur, sufficiat dare fidei iussoriam cautionem, si non potest dare pignoratitiam? Et qui incurrit excommunicationem, eo quod cum potuit, non solvit decimas, si postea fiat impotens, an possit absolvi per Bullam cum cautione, non obstante Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. de Reformatione, dicente talem non esse absolvendum, nisi plena restitutione subsequente? Ex p. 5. tract. 9. Ref. 39.

§. 1. Iacet Cajetanus ver. absoluto cap. 4. & Navar. c. 26. n. 7. dicant, quod si penitens potest dare pignoratitiam cautionem, tenetur ad illam, & si hanc non, ad fidei iussoriam, & si nec istam, tenetur ad iussoriam. Probabilius tamen est, quod cautio, quæ exigitur à jure, intelligi debet disjunctivè, ita quod si excommunicatus habet pignora, non tenetur dare illa, sed sufficiat dare fidei iussoriam. Videtur autem quod si potest dare alteram illarum cautionum, non satisfaciat in conscientia, dando iuratoriam, quia hoc potest vergere in grave detrimentum partis læsæ. Et ita docet Ludovic. de la Cruz in Bulla Cruc. disp. 1. c. 4. dub. 2. n. 15. imò probabiliter aliqui, ego alibi citavi, docent sufficere cautionem iuratoriam, etiam si possit dare fidei iussoriam, vel pignoratitiam, quod est valde notandum.

2. Notandum est hic obiter, quod qui incurrit excommunicationem, eo quod cum potuit, non solvit decimas, si postea fiat impotens, potest absolvi per Bullam cum cautione, non obstante Tridentino sess. 24. c. 12. de reformatione, dicente talem non esse absolvendum, nisi plena restitutione sequuta, quod idem in simili dicunt DD. in expositione constitutionis de largitione munerum Regularibus interdicta, quam novissime edidit Sanctiss. Clemens VIII.

RESOLUTIO CLXXXVIII.

An penitens oblitus censurae exigentis satisfactionem remaneat absolutus per generalem absolutionem collatam à confessorio potestatem habente? Et an penitens in confessione etiam extra subilem fallat, si nullam faciat mentionem censurarum, remaneat absolutus ab illis, quarum sit inculpabiliter oblitus, etiam si Superior Confessorius non habuisset expressam intentionem ab his absolvendi? Et difficultas est, an penitens talis remaneat absolutus ab his, quas culpabiliter non expresserit, quoties absoluitur.